



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

857. An ad effectum hujus regulæ requiratur bona fides in possessore.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)



resignatarius. Paris. cit. q. 14. n. 26. ita resolutum testans à Rotā in Placent. appellationis fructuum. idē- que confirmatum 3 Junii 1584. si enim publicatio præsumitur facta per resignatarium in tempore, & is non tenetur id probare, ut habet communis sententia. Paris. *ibid.* n. 25. dum facta præsumuntur, quando sunt consueti fieri. Bald. in rub. c. de fide instrum. col. 3. n. 8. & plurimi alii apud Paris. n. 20. eoque magis, dum id, quod consuetum est fieri, est accessorium ad principale, ut Curtius junior in l. si emancipati. n. 9. c. de collat. apud Paris. n. 21. Uti publicatio consueti est fieri, & accessoria est ad expeditionem literarum ipsius resignationis; multo maximè præsumenda est dicta publicatio, si resignatarius beneficium illud possedit per triennium; si enim possessio talis facit præsumi dispensationem, ut dictum, quæ pendet ex facto alterius, nempe Superioris; multo magis publicationem, quæ pendet ex facto ipsius possessoris; nec requirit ali- quod factum Superioris. Paris. n. 28. & 29.

4. Variè tamen hoc ipsum limitatur. Primò, ut non procedat, dum sumus in spolio; tunc enim ne quidem triennalis possessio hunc effectum præsumptionis facta publicationis produceret. Paris. cit. q. 14. n. 31. juxta varias Rotæ decisiones, quas citat. Secundò: quoties Superior veller videre publicationem; tunc enim non sufficeret ostendere triennem possessionem, sed tenetur resignatarius possessor eam illi exhibere. Paris. n. 33. & seq. dicens esse communem. Sequitur à potiori ex dictis supra de necessitate exhibendi & probandi titulum in hoc casu. Tertiò: quoties peteret resignatarius suam gratiam canonizari ad aliquem effectum; tunc enim deberet probare uti titulum, ita etiam factam publicationem. Paris. n. 39. citans Innoc. in c. ex insinuatione. de procurat. n. 3. Rebuff. in pr. tit. de rescript. ad benefic. vac. n. 17. &c. De ceterò qualiter resignatarius debeat docere de publicatione in casibus, in quibus ad hoc tenetur, vide eundem Paris. à num. 40. Verùm de hoc alibi.

*Questio 855. An, si prædecessor triennio pacifice possedit, & reputabatur beneficiarius, & in possessione cessit vel decessit, successor ejus non teneatur amplius justificare illius titulum?*

**R**espondeo affirmativè Garc. p. 11. c. 1. num. 12. citans Lap. alleg. 89. n. 14 & 15. Mascard. de prob. conclus. 175. & 179. Sarnens. ad hanc regulam. q. 16. Addit quoque Garc. talem successorem præferendum cuilibet alii impetranti ex persona alterius, juxta eundem Lap.

*Questio 856. An si quis resignavit, & post resignationem mansit in possessione, illamque continuavit per 10. annos, vel etiam triennium, præsumatur exinde in resignante retrocessio, & novus titulus acquisitus, ac per consequens jurari possit illà possessione, & eo momento vacet beneficium per mortem illius?*

**R**espondeo: ita quidem censisse sapius Rotam, & Auctores passim secutos Lapum cit. alleg. 89. ut videre est apud Paris. l. II. q. 6. à n. 96. ubi etiam n. 98. quòd in hoc casu, uti præsumitur novus titulus, ita & nova provisio & possessio, & non teneri talem justificare dispensationem ob-

tentam, & contra præsumptionem orientem ex hujusmodi allegatione Lapi à Rota non admitti probationem in contrarium, nisi probatio sit conclusivissima &c. Verumtamen hodie, itante constitutione Gregor. XIII. hac locum non habent; quia eò ipso vacat beneficium ob non factam intra tempus constitutum publicationem resignationis. Paris. l. cit. n. 111. quem vide de his pluribus.

*Questio 857. An ad hoc, ut vi hujus regulæ repellatur impetrans, requiratur in possessore triennali bona fides?*

**R**espondeo: probabilius esse, quòd non. Chok. hic. n. 76. citans Crescent. decis. 1. de sent. & re judic. Tond. in qq. benef. p. 1. c. 87. num. 47. Castrop. cit. p. 33. n. 10. citans Gomef. ad hanc regulam. q. 42. Covar. Reg. possessor. p. 2. s. 10. n. 10. concl. 4. contra Rebuff. de pacif. possessor. n. 28. Nav. l. 3. conf. tit. de præb. conf. 41. & conf. 2. rit. de paroch. & Sanch. l. 7. c. 29. n. 91. apud eundem Castrop. hac viros ratione: quòd, cum mala fide non detur præscriptio, neque conveniens sit, Papam velle favere peccantibus. Verùm hanc in contrarium opponit rationem Castrop. quòd vi hujus possessionis triennalis non præscribitur titulus in beneficio, sed solum prohibetur possidentis molestatio, & beneficii impetratio: hi autem effectus obtineri nequeant, si regula faveret solis possessoribus bonæ fidei; nam impetrans objicere posset possessori malam fidem, eamque illi facile probare, probando illum contra juris ordinem possidere beneficium. Sed neque Papa intendat favere peccantibus ex eò, quòd hac regula defendat possessores mala fidei, sed solum intendat favere reipubl. ab ea removendo lites, esto per accidens inde sequatur favor aliquis mala fidei possessoribus. Ad hac, lites, quas hac regula vitare intendit ex alio capite, nimirum vel ex hoc ipso, quòd bona fides requiratur, nascerentur, dum possessor, sicut, ut se defendat hac regula, probare debet triennem possessionem; ita etiam probare deberet suam bonam fidem, quòd difficillimum est, præcipue, dum beneficium possideretur contra juris ordinem.

*Questio 858. An regula hac defendat possessorem etiam quoad proprietatem beneficii?*

**R**espondeo: non defendere illum quoad proprietatem seu titulum, sed tantum quòd ad possessionem. Chok. ad hanc reg. n. 76. & Olositor apud illum n. 18. quia non dat ei titulum, ut supra. hinc fit, ut Ordinarius post triennem possessionem, dum comperit possessorem esse sine titulo, possit eum amovere, & beneficium conferre alteri. Chok. *ibid.* Et ut præmittit Chok. nemo impediatur, quò minus in petitorio doceat possessorem triennem esse intrutum, etsi hoc fecus sit in possessorio; cum nemo audiendus opponens aliquid contra possessionem. Hujus tamen contrarium sentire videtur Tond. loc. cit. n. 48. dum ait: quamvis aliqui existimarent, regulam de triennali non ob stare in petitorio, sed tantum in possessorio, contrarium tamen verius est; & per Rotam observatum; nempe triennem obtinere debere tam in petitorio quam possessorio. citat pro hoc Callad. decis. 5. num. 5. de restitut. spoliat. Rebuff. de pacif. poss. num. 25.